



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Leobardus C. 18. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ribus animi oculis arbitratur, aream esse aucupis
videt laqueis undique obtectam: scire percupidus,
quis hos effugeret, responsum accipit, qui animo
dmisso esset. Subinde Martyrū pugnis cùm actor
adesse non posset, spectator adfuit, & hortator, ju-
dicique sēpe in veste candidā obvius mortem nec-
quicquam ambiit, eremo pugilem sibi deposcente.
Illic cùm ageret, à Constantino filiisque Impera-
toribus persæpe litteris salutatus, vicissim eos of-
ficii sui commonefecit, & à suo ad divinum tribu-
nal crebrò jussit advertere. Natus annos C. & V.
ista suis suggestit documenta: Viverent quotidie
morituri: quotidie melioris animi proposita no-
varent: JESVM assidue suspirarent: hoc nomine
clypeo in hostem uterentur: hæreticorum fami-
iliaritatem fugiendo effugerent. Sub hæc mortuus
anno à partu Virginis CCC.LVIII. vitæ præco-
nem magnum Athanasium habuit, uti & hæredem
pallioli sui laceri quidem & detriti, sed quod vir-
tutem scire tegere. Ex S. Athanas.

*Ecce venatorum spiritualium quot sunt laquei ad
capturam animarum toto orbe diffusi! hos tantummodo
evadunt, qui mundum ipsum dèsignantur amare, illum
secedendo spernunt, ejusq; concupiscentiis abdicatis Dèo
in spiritu militare proponunt. S. Laur. Just. de Con-
tempt. mundi.*

S. LEOBARDUS C. 18.Ianuarii.

Lingentes opes natus LEOBARDVS ad nuptias
non tam invitabatur, quam cogebatur à paren-
tibus, quas tamen mors utriusque interturbavit.
Filius sponsus, ubi iusta his persolvit, ad germanum
proficiscitur. Sed hic tum fortè ebrius neque
agnoscere frater fratrem velle, quin contumeliosè
acceptum

acceptum fide minimè germanâ hospitem domo exigere. Hic LEOBARDVS, dum noctem sub diō agit, cælumque ad faces suas contemplatur, Certe inquit, hoc non excludet, nisi aditum ipse mihi interclusero. Et quousque demum servitutem mundo ingratu hanc serviam? nunquid non mors ipsa parentum ad pileum vocat? nolentes mundo mortui mori me volentem docent. At innumeratas opes numero, nempe quas pater heri, ego hodie, cras alius numerabit. Sponsa mihi est. Mater scilicet bella mihi, & lites pariet. Et ubi tunc castissimi nunc animi lilia? morientur hæc; & ego Superistam nobilem odorem invidebo? Ergo tibi hunc mentis candorem, o cælum, tu verò terra, res tuas tibi habe. Exulabis & tu animo nostro. Irasceris? prior exclusisti. Hæc secum LEOBARDVS, mox recta Asceterium; ibi ipsos duos & viginti annos angustiis cellæ inclusus aditum ad se mundo vicissim negavit, neque tamen vel talis sine prole in cælos abiit. Reliquit post se virtutem nobilem filiam & vobis, Sodales Parthenii, locandam. Cur abnuitis pauperē ducere? dabit cælū dotē. Ex Sur.

Non in nobis flamma libidinis astuet, non turpis cogitatio pulchram animæ nostræ coram Dœo speciem jædet. Non nos terrene facultatis abundantia in superbiam erigat, non tenacitas misericordie viscera pauperibus claudat: Vigeat in nobis perpetua castitas. S.Pet.Dam. serm.65.

S. LAUNOMARUS ABB. 19.Ianuarii.

E Galliā est hoc lilyum, quod manu tenes. Multa inde in rosaria Mariana transferemus; interea isto oculos oblecta. Nascitur ergo LAVNOMARVS anno post natum Servatorem vigesimo supra